

ACTVS I

I.i

EPIDICVS Heus, adulescens. **THESPRIO** Quis properantem me
reprehendit pallio?

EP. Familiaris. **TH.** Fateor, nam odio es nimium familiariter.

EP. Respice vero, **THESPRIO.** **TH.** Oh,

Epidicumne ego conspikor?

EP. Satis recte oculis uteris. 5

TH. Salve. **EP.** Di dent quae velis.

venire salvom gaudeo. **TH.** Quid ceterum? **EP.** Quod eo adsolet:

cena tibi dabitur. **TH.** Spondeo. **EP.** Quid? **TH.** Me accepturum, si dabis.

EP. Quid tu agis? ut vales? exemplum adesse intellego. euge,

corpulentior videre atque habitior. **TH.** Huic gratia. 10

EP. Quam quidem te iam diu

perdidisse oportuit. 11a

T. Minus iam furtificus sum quam antehac. **E.** Quid ita? **T.** Rapio propalam.

EP. Di immortales te infelicient, ut tu es gradibus grandibus.

nam ut apud portum te conspexi, curriculo occepi sequi:

vix adipiscendi potestas modo fuit. **TH.** Scurra es. **EP.** Scio 15

te esse equidem hominem militarem. **TH.** Audacter quam vis dicito.

quid ais? perpetuen valuisti? **EP.** Varie. **TH.** Qui varie valent,

capreaginum hominum non placet mihi neque pantherinum genus.

EP. Quid tibi vis dicam nisi quod est? ut illae res? responde. **TH.** Probe.

EP. Quid erilis noster filius? **TH.** Valet pugilice atque athleticce. 20

EP. Voluptabilem mihi nuntium tuo adventu adportas, **THESPRIO.**

sed ubist is? **TH.** Advenit simul. **EP.** Vbi is ergo est? nisi si in vidulo

aut si in mellina attulisti. **TH.** Di te perdant. **EP.** Te volo —

percontari: operam da, opera reddetur tibi.

TH. Ius dicis. **EP.** Me decet. **TH.** Iam tu autem nobis praeturam geris? 25